



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 127. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. v. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Verbum Domini, Verbum Domini, statim eo ipso sint ex parte Christi, etiam Antichristiani scripturam usurpant, usurpabat illam utique Marcion, hereticus, & usurpant eam Calvinista & usurpant Lutherani, item Catholicici. Sed aliter hi, aliter isti, quæ volunt, intelligunt & exponunt, Marcion legens apud S. Lucam: *Hoc est corpus meum*, uti Tertullianus refert, exponebat sic: *Hoc est figura corporis mei*, quia verum corpus à Christo assumptum esse nolebat. Exponit idem Calvinista eodem modo, sed alia intentione, quia videlicet Deum posse unum corpus duobus locis collocare, non vult cum Catholicis tenere. Ecce ita scriptura torquetur ad affectus exponentiam hereticorum pariter & Iudæorum. Noli igitur sequi affectus tuos sed sequere Magistrum veritatis Ecclesiam, quæ ad hoc accepit Sp. sanctum, ut infallibiliter eam bene exponat.

§. 127. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. v. 8.*

Dicitur hic Pilatus timuisse magis: itaque subindicatur quod iam ante timuit. Quid igitur & quare antea timuit? Vtique homines istos, qui sibi occlamabant & minabantur de Casare, & de legibus suis, nisi Christum occideret quid igitur nunc evenit, propter quod magis timet? incipit timere Deum & iustitiam eius vindicativam. Si enim filius Dei esset ille quem ad mortem damnare compellebatur, utique incurrere iram illius se videbat, qui eum genuerat, Deus. iram autem Dei portare quis posset qui hominis iram formidamus. Ecce cur Pilatus magis timuit.

O Iesu sancte, innocens, impollute, à peccatoribus segregate, da nobis tuam sanctitatem colere intrus & exterius profiteri. Tu optime docuisti nos quem timere debeamus non hominem vel homines, qui occidere possunt corpus, sed eum qui occidere potest & corpus & mittere in gehennam, hunc timeamus, & ut timeamus confige obsecro timore tuo carnes nostras.

§. 128. *Et ingressus est prætorium iterum. v. 9.*

Cum videret Iudæos magis magisque tumultuare, nec haberet ultra quid eis pro Christi defensione respondere posset, etiam novus articulus accusationis proferretur, quod nempe se filium Dei iactasset Christus, anxius iterum introivit prætorium, ut ex Iesu captivo suo exploraret, quid subesset ijs, quæ recens audierat ex Iudæis, de filiatione Dei, & potuit fieri ut Pilatus putaret vera esse quæ apud Romanos in Metamorphosi Ovidiana leguntur, de varijs filijs Deorum Iovis, Apollinis, Martis &c. & ideo quaereret, ne forte talis Deasti filius esset, & illius iram incurreret. Cum